

Beatrix deducta foret, nascens regnum corruisset. Quid quod Salucienses Proceres hinc prognatos invenimus. Ricciarda in exilio nata, Thomæ Salutiensi in matrimonium data fuit, unde hinc potentia, & perpetuum nomen patrum memoriam. Ricciarda altera, Philippo Maria procurante in Estensem dominum per legitimas nuptias reversa, ex Nicolao mares duos peperit, Herculem, qui nunc regnat, & Sigismundum. Per hæc tempora Genuenses civilibus malis fatigati, & rerum fessi, ut sub alienigena Principe irarum, & malorum civilium finis daretur, neque per simulatem, & invidiam civilibus armis perpetuò agitarentur, Aetio Vicecomiti publico consensu Genuam regendam tradiderunt, & nisi mors intercessisset, in dominium, & postestatem Vicecomitis Ligur venisset. Mortuo Aetio urbs discors, & intextis armis pene exhausta, novum magistratum sine provocazione constituit. Proditum est in Annalibus, quem Populus in concionem vocatus est, & tœdio civilium dissensionum de tranquillitate, & ocio Urbis consultaret, in tumultu jaçtam vocem Ducem, exemplo Venetorum, constituiopportere. Excepta vox fuit, consensu omnium Symon Buccanira Dux creatur. Hujus pater & avus Praefecturam Populi sub ridicula appellatione tenerant. Invasit deinde consuetudo, ut ex plebe dumtaxat Gibellina Reipublica princeps crearetur. Ita dimissis veterum

A factionum studiis in novam sectam Populus abiit, neque deinceps de principatu primores Populi decertarunt. Ceterum Aetius, ut Ludovici Bavarorum Ducus ferociam retunderet, simulque, ut opinione Pontificis Populus reverentior, & magis fidelis redderetur, Benedicto XII. se dedititum professus est. Ea res gratiam cum Pontifice reconciliavit, urbes, & populos sui studiosiores fecit. Moritur hoc eodem anno Aycardus titulo tenus Archiepiscopus, ut supra docuimus; nam repugnante Matthæo & filiis, nisi sub conditione Sacerdotio potiri non potuit. Joannus, cui cura Sacrorum delegata erat, illi sufficitur; erat enim Novariensis sacri Praefectus. Aycardus honorifico funere elatus in æde Minorum sepultus est. Rebus in hunc modum compositis Aetius postridie Idus Augusti, ut quidam tradunt, functus naturæ satisfecit. Sepultus in æde, quam intra parietes regiae construxerat. Ea deinde Gothardi appellationem habuit, ad quam usque nostra in tempora tertio Nonas Maii, viri atque matronæ frequentes concurrunt, votaque persolvunt, quia Gothardo faciente a morbo liberantur, quem nulla medicina tollere potest. Prior appellatio ædis sub Virgine Maria, & Joanne Baptista. Vota repetens Aetius Gothardi nomen indidit, ab his credo persuasus, qui conclamato morbo nullam operam, nisi a Deo exposcendam dixeret.

*Explicit Liber Quartus.*